

nunciare dies festos, & jejunia in suis Ecclesiis, 2. *Julii 1602.*

4. Regulares, qui sunt in possessione præcedentiæ, præcedunt in publicis functionibus, & ubi non constat de possessione, præcedunt ii, qui sunt antiquiores in loco controversiæ, 6. *Octobris 1645.*

RELIQUIÆ.

1. **I**N Tabernaculo ubi aservatur Sanctissimum Sacramentum non sunt retinendæ Reliquiæ, nec vasa Sacrorum oleorum, nec aliud, 22. *Februarii 1593.*

2. Reliquiæ, quibus in Altaris Consecratione utitur Episcopus, debent esse Sanctorum ab Ecclesia approbatorum, 13. *Septembris 1593.*

3. Altare portatile tunc Consecrationem amittit, quando frangitur, vel loco movetur repositorium Reliquiarum, 5. *Martii 1693.*

4. Officium sit duplex minus de illo Sancto, cujus habetur Reliquia insignis, scilicet Caput, brachium, crus, vel ea pars corporis, in qua passus est Martyr, dummodo sit integra, & non parva, modo sit approbata, cujus ratione recitandum est symbolum in Missa, 8. *Aprilis 1628.*

5. Festum, quod in aliqua Ecclesia celebratur ratione Corporis, vel insignis Reliquiæ, non habet Octavam nisi, specialiter concedatur à Sede Apostolica 12. *Augusti 1653.*

6. Qui recitat Officium de Sancto, de quo habet insignem Reliquiam in propria Ecclesia, si celebrat eo die in alia Ecclesia, debet omittere Credo, 2. *Decembris 1684.*

7. De Sancto, cujus habetur Corpus, vel insignis Reliquia non potest fieri Officium, nisi constet de identitate, & nisi reperitur in Martyrologio Romano. Reliquiæ vero à locorum Ordinariis approbate, possunt exponi ad fidelium venerationem, 19. *Octobris 1691.*

8. Quando exponuntur Reliquiæ, ultra lampadem debent continuo ardere in altari duo lumina, alias non exponantur, 22. *Januarii 1701.*

SANCTI.

1. **C**ORPORA Sanctorum nondum canonizatorum non possunt poni sub altari, 16. *Octobris 1604.*

2. De Sancto canonizato non potest fieri Officium extra propriam Ecclesiam sine novo decreto, 9. *Decembris 1628.*

3. Officium cum Missa Beati Rochi in ejus die festo conceditur tantum in Ecclesiis in ejusdem honorem Deo dicatis, nisi aliud permittatur, 26. *Novembris 1629.*

4. Electio de Patrono Civitatis fieri debet per secreta suffragia à populo mediante Concilio generali illius Civitatis, vel loci, non autem ab Officia-

libus solum, & accedere debet consensus Episcopi, & Cleri illius loci, 23. *Martii 1630.*

5. Non possunt eligi in Patronos, nisi illi solum, qui ab Ecclesia universalis sub titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificati dumtaxat, 23. *Martii 1630.*

6. Idem servandum in Patrono regni, qui pariter eligendus erit per secreta suffragia à Populo singularum Civitatum Provinciarum 13. *Martii 1630.*

7. Repræsentantibus Regnum, Civitatem, Provinciam nulla competat facultas eligendi Patronos, nisi ad hoc habeant speciale mandatum, & ulterius interveniat consensus Episcopi, & Cleri dictarum Civitatum, 22. *Martii 1630.*

8. Causæ electionis novorum Patronorum deducenda sunt in Sacri. Congr. & ab eadem examinanda, ac tandem causâ cognita, ab eadem Congregatione approbanda est, & confirmanda, 23. *Martii 1630.*

9. Si in locis Diocesis nullus reperitur electus Patronus, tenetur Diocesis non solum ad festum de Patrono Civitatis, sed etiam ad Octavam, 28. *Septembris 1658.*

10. In Patronorum, five protectorum præcedentia servandus est Ordo Hierarchiæ Ecclesiæ, & inter ordinem Hierarchicum anterioritas in electione, 12. *Martii 1696.*

11. Non sunt inferendi in Litanis alii Sancti, præter ibi descriptos, neque tempore pestis addendi sunt Titulares, & Civitatis Patroni, sine speciali concessione, 22. *Martii 1631.*

THURIFICATIO.

1. **A**rchidiaconus sustinens baculum Episcopi thurificandus est post Diaconos assistentes, ubi non adsit contraria consuetudo, 28. *Aprilis 1607.*

2. Assistens presbyter debet Episcopum thurificare ad Sedem quicumque ille sit, non vero Diaconus Evangelii, 19. *Maii 1607.*

3. Absente Episcopo, thurificandus est celebrans triplici ductu, 30. *Januarii 1616.*

4. Finito Evangelio Missæ solemniss, cui assistit Episcopus cum cappa, thurificandus est, & celebrans, non vero Episcopus, 4. *Augusti 1663.*

5. Non est faciendâ Altaris thurificatio in Missa Conventuali dierum solemnium, si absque cantu, & ministris celebratur, 22. *Januarii 1701.*

6. Assistentes Episcopo, licet minus digni, præferuntur omnibus aliis, & ante Dignitates thurificantur, 23. *Maii 1603.*

7. In Ecclesia Collegiata exempta, præsentem uno Canonico cum Episcopo, & Abbate Collegiata ejusdem cum suis Canonicis, prius incensetur Canonicus, deinde Abbas, 7. *Februarii 1604.*

8. In personarum incensatione tota thurificatio faciendâ est cum unico thuribulo, si talis sit consuetudo, 21. *Julii 1619.*

VI-

VICARIUS.

1. **V**icarius Episcopi Missam cantanti solemnem non ministrat Canonici, neque sit Circulus ante ipsum, 8. *Martii 1585.*

2. Episcopo absente, non potest Vicarius Missas celebrare Conventuales, nec Pontificales, 16. *Maii 1600.*

3. Absente Episcopo, spectat etiam ad Vicarium Generalem edicere, & dirigere processiones cum consilio Capituli, 24. *Augusti 1619.*

APPENDIX

Variarum Propositionum ab aliquibus Summis Pontificibus damnatarum.

CAPUT PRIMUM.

Referuntur Propositiones damnatæ Anno 411. & item Anno 416.

5. Innocentius Papa hujus nominis primus damnavit hæc Pelagii, ac Celestii propositiones, respondens Concilio Carthaginiensi & Concilio Milevitano. Sunt ergo Propositiones Doctrinæ Pelagiana, ut hic jacet damnata annis 411. & 416. Primæ tres spectant ad Concilium Carthaginense, aliæ ad Milevitanaum.

1. **N**aturaliter potest implere legem, qui vult, & Deus legem ad adjutorium dedit.

2. Ad perficiendam justitiam, & Dei mandata complenda, sola humana sufficere potest natura.

3. Parvuli propter salutem, quæ per Salvatorem Christum datur, baptizandi non sunt.

4. Potest homo in hac vita, præceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem justitiæ, sine adjutorio gratiæ Salvatoris, per solum liberæ voluntatis arbitrium pervenire, ut etiam non sit necessarium dicere, *Dimitte nobis debita nostra.*

5. Illud, ne nos inferas in tentationem, non ita intelligendum, tanquam divinum adjutorium poscere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus, quoniam hoc in nostra positum est potestate, & ad hoc implendam sola sufficit hominis voluntas.

6. Non est orandum Deus, ut contra peccati malum, & ad operandam justitiam sit noster adjutor.

7. Non opitulatur parvulis ad consequendam vitam æternam Christianæ gratiæ Sacramentum.

CAPUT II.

Referuntur Propositiones damnatæ anno 1311. in Concilio Trinitatis in Natura, damnata in Concilio Lateranensi 4. anno 1215.

Unitas divinarum Personarum in Natura non est vera, & propria, sed quasi collectiva, & similitudinaria, quemadmodum dicuntur multi Homines unus Populus, & multi Fideles una Ecclesia.

CAPUT III.

Referuntur Propositiones anno 1276. à Joanne XXII. contra Doctrinam D. Jo: de Polhuo Doctõris Parisiensis, damnatæ in extravaganti Camp inter nonnullos de verb. Signifi. æ item alia propositio ab eodem damnata in Concilio Lugdunensi.

1. **C**onfessi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, tenentur eadem peccata, quæ confessi fuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti.

2. Stante (omnis utriusque sexus) edito in Concilio Generali, Romano Pontifex non potest facere quod parochiani non teneantur omnia peccata sua semel in anno proprio Sacerdoti confiteri (quem dicit esse parochianum curatum.) Immo nec Deus posset hoc facere, quia (ut dicebat) implicat contradictionem.

3. Papa non potest dare potestatem generalem audiendi confessionem, immo nec Deus, quin confessus habenti licentiam teneatur eadem confiteri proprio Sacerdoti, quem dicit esse (ut præmittitur) proprium curatum.

Ab eodem Pontifice in Concilio Lugdunensi damnata edit hæc propositio: Christus, & ejus Discipuli nihil habuerunt, & in his quæ habuerunt nullum jus eis fuit.

CAPUT IV.

Referuntur Propositiones damnatæ anno 1311. in Concilio Generali Viennensi sub Clemente Pontifice Maximo hujus nominis V. & sunt errores Mulierularum quarundam, quæ Beguine vocabantur, & in illusionibus vite spiritualis miserime jacebant. Referuntur deinde aliæ propositiones in eodem Concilio damnatæ. Porro Propositiones Beguardorum, & Beguinarum sunt istæ.

1. **H**omo in vita præsentis tantum, & talem perfectionis gradum potest acquirere quod reddatur penitus impeccabilis, & amplius in gratia proficere non valebit. Nam (ut dicitur) si quis semper posset proficere, posset aliquis Christus perfectior inveniri.

Kkkk

Je-

2 Jejunare non oportet hominem, nec orare, postquam gradum perfectionis hujusmodi fuerit affectus, quia tunc sensualitas est ita perfecte Spiritui, & rationi subiecta, quod homo potest libere corpori concedere quicquid placet.

3 Illi, qui sunt in prædicto gradu perfectionis, & Spiritus libertatis, non sunt humanae subiecti obedientiae, nec ad aliqua præcepta Ecclesiae obligantur. Quia (ut asserunt) ubi Spiritus Domini, ibi libertas.

4 Homo potest ita finalem Beatitudinem secundum omnem gradum perfectionis in presenti assequi, sicut eam in vita obtinebit beata.

5 Qualibet intellectualis creatura in se ipsa naturaliter est beata, & anima non indiget lumine gloriae ipsam elevante ad Deum videndum, & eo beate fruendum.

6 Se in actibus exercere virtutum est hominis imperfecti, & perfecta Anima licentiat à se virtutes.

7 Mulieris osculum (cum ad hoc natura non inclinet) est mortale peccatum, actus autem carnalis (cum ad hoc natura inclinet) peccatum non est, maxime cum tentatur exercens.

8 In elevatione Corporis Christi Jesu non debent asserere, nec eidem reverentiam exhibere: asserentes, quod esset imperfectionis eisdem, si à puritate, & altitudine suae contemplationis tantum descenderent, quod circa Mysterium, seu Sacramentum Eucharistiae, aut circa passionem humanitatis Christi aliqua cogitantur.

9 In hoc Concilio damnata pariter fuit tanquam haeretica ista propositio sub eodem Pontifice: *Exercere usuras non est peccatum.*

10 Damnata fuit insuper ut haeretica hæc propositio: Anima rationalis non est verè, & proprie forma Corporis humani.

CAPUT V.

Referuntur Propositiones damnatae anno 1418. in Concilio Constantiensi Oecumenico sub Jo: 23. tempore Schismatis ante creationem Martini V. qui deinde hujus Propositionis damnationem approbavit. Est autem propositio circa occisionem Tyrannorum, & est hujusmodi:

1 Qualibet Tyrannus potest, & debet licitè & meritorie occidi per quemcumque Vasallum suum, vel subditum, etiam per clanculares insidias, & subtiles blanditias vel adulationes, non obitante quocumque præstito juramento, seu confederatione factis cum eo, non expectata sententia vel mandato Judicis cujuscumque.

CAPUT VI.

De Schismate hujus temporis.

Cum Urbanus VI. severioribus fortasse gubernationis habenis urbi dominaretur, & Cardinales nonnullos ambitione damnaret, ac in pluribus coerteret, factum est ut hi novum Pontificem sub prætextu quod electio Urbani VI. minime canonica habenda esset, quia non liberè facta, deligerent. Hæc electio Cardinalium prope Romam habita extulit ad Pontificatum Robertum comitem Genevensis, qui dictus est Clemens VII. Hinc atrox nimis schisma inconsumibile Christi vestem, Ecclesiam scilicet dividebat. Post hæc coactum est, non tamen convocante Pontifice, Pisana Concilium, à quo Pontifices ambo depositi & creatus tertius Pontifex, ita ut jam Schisma tres divisiones subiret, Cardinalis Petrus Philaretus Vir Dei assumptus fuit ad Pontificatum Pisani. Quare Principibus ipsis, ac Orbe Catholico, in tres partes divisio, Schisma magis, ac magis invalescebat in dies, præsertim ex eo quod defuncto Clemente, qui ei adhaerebant Cardinales novum illi Pontificem subrogantur Petrum de Luna, qui Benedicti Decimertii nomen assumpsit, & ad plurimos annos Ecclesiam Christi turbavit. Tandem adhibito efficaci remedio, & convocato Constantiensi de consensu partium Concilio Oecumenico; tres Pontifices dignitate Pontificia privati sunt, ac Electus Cardinalis Columna Romanus qui Martinus V. voluit nuncupari. Porro Martinus Quintus omnia deinde acta in Concilio Constantiensi ad fidem spectantia approbavit auctoritate Apostolica, & deinde reddita Ecclesiae pace, singulis Patribus facultatem fecit ad propria remeandi. Nec breviter hic attigisse sufficiat, quæ in Historiis Conciliorum fuscè exponuntur.

CAPUT VII.

Referuntur Propositiones damnatae anno 1418. sub Joanne XXIII. ante Creationem Martini V. in Concilio Constantiensi, sessione 45. contra Joannem Wicleffum.

1 Substantia panis materialis, & similiter substantia vini materialis remanent in Sacramento Altaris.

2 Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem Sacramento.

3 Christus non est in eodem Sacramento identicè, & realiter propria presentia corporali.

4 Si Episcopus, vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat.

5 Non est fundatum in Evangelio, quod Christus Missam ordinaverit.

6 Deus debet obeditre Diabolo.

Si

7 Si homo fuerit debite contritus, omnis Confessio exterior est sibi superflua, & inutilis.

8 Si Papa sit præfatus, & malus, & per consequens membrum Diaboli, non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datam, nisi fortè à Cæsare.

9 Post Urbanum VI. non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more Græcorum sub legibus propriis.

10 Contra Scripturam Sacram est, quod viri Ecclesiastici habeant possessiones.

11 Nullus Prælati debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum excommunicatum à Deo, & qui sic excommunicat, fit ex hoc haereticus, vel excommunicatus.

12 Prælati excommunicant Clericum, qui appellavit ad Regem, vel ad Concilium Regni, eo ipso traditor est Regis, & Regni.

13 Illi qui dimitunt prædicare, sive audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, & in Dei judicio traditores Christi habebuntur.

14 Licet alicui Diacono, vel Presbytero prædicare Verbum Dei, absque auctoritate Sedis Apostolicæ, sive Episcopi Catholici.

15 Nullus est Dominus Civilis, nullus est Prælati, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

16 Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionis habitualiter delinquentibus, id est ex habitu, non solum actu delinquentibus.

17 Populares possunt ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere.

18 Decimæ sunt puræ Eleemosynæ, & possunt Parochiani propter peccata suorum Prælatorum ad libitum suum eas auferre.

19 Speciales orationes applicatae uni personæ per Prælatos, vel Religiosos, non plus profunt eidem, quam generales cæteris paribus.

20 Conferens Eleemosynam Fratribus est excommunicatus eo facto.

21 Si aliquis ingreditur Religionem privatam qualemcumque, tam possessionatorum, quem mendicantium, redditur ineptior, & inhabilior ad observationem mandatorum Dei.

22 Sancti influentes Religiones privatas, sic instituendo peccaverunt.

23 Religiosi viventes in Religionibus privatis non sunt de Religione Christiana.

24 Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere, & non per mendicitatem.

25 Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis in temporalibus subvenientibus.

26 Oratio præfati nulli valet.

27 Omnia de necessitate absoluta eveniunt.

28 Confirmatio juvenum, Clericorum Ordinati, locorum consecratio, reservantur Papæ, &

Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis, & honoris.

29 Universitates, studia, Collegia, Graduationes, & magisteria in eisdem sunt vana Gentilitate introducta; tantum profunt Ecclesiae, sicut Diabolus.

30 Excommunicatio Papæ, vel cujuscumque Prælati non est timenda, quia est censura Antichristi.

31 Peccant fundantes Claustra; & ingredienti sunt viri Diabolici.

32 Ditare Clerum est contra Regulam Christi.

33 Sylvester Papa, & Constantinus Imperator errarunt Ecclesiam dotando.

34 Omnes de ordine mendicantium sunt haeretici, & dantes eis Eleemosynas sunt excommunicati.

35 Ingredientes Religionem, aut aliquem Ordinem, eo ipso inhabiles sunt ad observanda divina præcepta, & per consequens ad perveniendum ad Regnum Cælorum, nisi apostataverint ab eisdem.

36 Papa cum omnibus Clericis suis possessionem habentibus sunt haeretici, eo quod possessiones habent: & consentientes eis, omnes videlicet domini seculares, & cæteri Laici.

37 Ecclesia Romana est synagoga Satanae, nec Papa est proximus, & immediatus Vicarius Christi, & Apostolorum.

38 Decretales Epistolæ sunt apocryphæ, & seducunt à fide Christi, & Clerici sunt stulti, qui student eis.

39 Imperator, & Domini seculares sunt facti à Diabolo, ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus.

40 Electio Papæ à Cardinalibus, à Diabolo est introducta.

41 Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.

42 Fatuum est credere Indulgentiis Papæ, & Episcoporum.

43 Juramenta illicita sunt, quæ sunt ad corroborandos humanos contractus, & commercia civilia.

44 Augustinus, Benedictus, & Bernardus damnati sunt, nisi poeniterint de hoc, quod habuerunt possessiones, & instituerunt, & intraverunt Religiones: & sic à Papa usque ad ultimum Religiosum omnes sunt haeretici.

45 Omnes Religiones indifferenter introductæ sunt à Diabolo.

CAPUT VIII.

Referuntur Propositiones Jo: Hus ibidem damnatae tanquam erronee in fide anno eodem.

1 Unica est Sancta universalis Ecclesia, quæ est Prædestinatorum universitas.

2 Paulus nunquam fuit membrum Diaboli, il-

et fecerit quosdam actus, actibus Ecclesie malignantium conformes.

3 Præcitus non sunt partes Ecclesie; cum nulla pars eius finaliter excidet ab ea, eo quod prædestinationis Charitas, qua ipsam ligat, non excidet.

4 Dux naturæ, Divinitas, & Humanitas sunt unus Christus.

5 Præcitus, etsi aliquando est in gratia secundum præsentem iustitiam, tamen nunquam est pars S. Ecclesie, & Prædestinatus semper manet membrum Ecclesie, licet aliquando excidat à gratia adventitia, sed non à gratia prædestinationis.

6 Sumendo Ecclesiam pro convocazione prædestinatorum, sive fuerint in gratia, sive non, secundum præsentem iustitiam, ito modo Ecclesia est Articulus fidei.

7 Petrus non est, nec fuit caput Ecclesie S. Catholice.

8 Sacerdotes quomodolibet criminose viventes Sacerdotii possunt potestatem, & sic, ut filii infideles sentiunt infideliter de 7. Sacramentis Ecclesie, de Clavibus, officiis, censuris, moribus, ceremoniis, & Sacris rebus Ecclesie, veneratione Reliquiarum, Indulgentiis, & ordinibus.

9 Papalis dignitas à Cæsare inolevit, & Papæ perfectio, & institutio à Cæsaris potentia emanavit.

10 Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se, vel alio, quod esset caput Ecclesie particularis, nec Romanus Pontifex est caput Romanæ Ecclesie particularis.

11 Non oportet credere, quod iste, quicumque est Romanus Pontifex, sit caput cuiuscunque particularis Ecclesie Sanctæ, nisi Deus eum prædestinaverit.

12 Nemo gerit vicem Christi, vel Petri, nisi sequatur eum in moribus, cum nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter recipiat à Deo procuratoriam potestatem, quia ad illud Officium Vicarii requiritur, & morum conformitas, & instituentis auctoritas.

13 Papa non est verus, & manifestus successor Apostolorum Principis Petri, si vivit moribus contrariis Petro, & si querit avaritiam, tunc est Vicarius Judæ Iscarioth. Et pari evidentia Cardinales non sunt veri, & manifesti successores Collegii aliorum Apostolorum Christi, nisi vixerint more Apostolorum, servantes mandata, & consilia Domini nostri Jesu Christi.

14 Doctores ponentes, quod aliquis per censuram Ecclesiasticam emendandus, si corrigi noluerit, sæculari iudicio est tradendus, pro certo sequuntur in hoc Pontifices, Scribas, & Phariseos, qui Christum non volentes eis obedire in omnibus, dicentes: nobis non licet interficere quemquam; ipsum sæculari iudicio, tradiderunt: & quod tales sint homicidæ graviores, quam Pilatus.

15 Obedientia Ecclesiastica est Obedientia, se-

cundum adventionem Sacerdotum Ecclesie, præter expressam auctoritatem Scripturæ.

16 Divisio immediata humanorum operum est, quod sunt, vel virtuosa, vel vitiosa, quia si homo est vitiosus, & agit quidquam, tunc agit vitiose, & si est virtuosus, & agit quidquam, tunc agit virtuosè: quia sicut vitium, quod crimen dicitur seu mortale peccatum, insicit universaliter actus hominis vitiosi; sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosè.

17 Sacerdotes Christi viventes secundum legem ejus; & habentes Scripturæ notitiam, & affectum ad ædificandum populum, debent prædicare, non obtinendo præsentia excommunicatione. Quod si Papa, vel aliquis Prælati mandat Sacerdoti sic disposito non prædicare, non debet subditus obedire.

18 Quilibet prædicantis Officium de mandato accipit, qui ad Sacerdotium accedit; & illud mandatum debet exequi, præsentia excommunicatione non obstante.

19 Per censuras Ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis, & interdicti ad sui exaltationem Clerus populum laicalem sibi suppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit, & viam præparat Anti-Christo. Signum autem evidens est, quod ab Anti-Christo tales procedunt censuræ, quas vocant in suis processibus fulminationes, quibus Clerus principalissimè præcedit contra illos, qui denudant nequitiam Anti-Christi, qui Clerum pro se maximè usurpabit.

20 Si Papa est malus, & præsertim si est præcitus, tunc ut Judas, Apostolus, est Diaboli, Fur, & Filius perditionis, & non est caput S. militantis Ecclesie, cum nec sit membrum ejus.

21 Gratia prædestinationis est vinculum, quo corpus Ecclesie, & quodlibet ejus membrum jungitur Christo capiti insolubiliter.

22 Papa, vel Prælati malus, & præcitus est æquivoce Pastor, & vere Fur, & Lator.

23 Ratio non debet dici Sanctissimus, etiam secundum Officium, quia alias Rex deberet etiam dici Sanctissimus secundum Officium, & tortores, & præcones dicerentur Sancti, immo etiam Diabolus deberet dici Sanctus, cum sit Officiarius Dei.

24 Si Papa vivat Christo contrarie, etiam si ascenderit per ritum, & legitimam electionem, secundum constitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde ascenderet, quam per Christum, dato etiam quod intraret per electionem à Deo principaliter factam: nam Judas Iscariotes rite, & legitime est electus à Deo Christo Jesu ad Episcopatum, & tamen ascendit aliunde ad ovile ovium.

25 Condemnatio 47. arti. Joannis Wicleff per Doctores facta est irrationabilis, & iniqua, & male facta, & ficta est causa per eos allegata, videlicet ex eo, quod nullus eorum sit Catholicus, sed qui-

libet eorum, aut est Hæreticus, aut erroneus, aut scandalosus.

26 Non eo ipso, quod Electores, vel major pars eorum consenserit viva voce secundum ritum hominum in personam aliquam, eo ipso illa persona est legitime electa, vel eo ipso est verus, & manifestus successor, vel Vicarius Petri Apostoli, vel alterius Apostoli in officio Ecclesiastico: unde sive Electores, bene, vel male elegerint, operibus electi debemus credere; nam eo ipso, quo quis copiosius operatur meritorie ad profectum Ecclesie, habet à Deo ad hoc copiosius facultatem.

27 Non est scintilla apparentiæ, quod oporteat esse unum caput in Spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum Ecclesia ipsa militante converteretur, & conservetur.

28 Christus sine talibus monstruosis capitibus per suos veraces Discipulos sparsos per orbem terrarum, melius sitam Ecclesiam regulareret.

29 Apostoli, & fideles Sacerdotes Domini strenue in necessariis ad salutem regularunt Ecclesiam, antequam Papæ Officium foret introductum: sic facerent deficiente, per summe possibile, Papa usque ad diem iudicii.

30 Nullus est Dominus civilis, nullus est Prælati, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali. Post hanc damnationem eum Jo: Hus contumax perseverasset in suis erroribus unà cum Hieronymo de Praga, publico igne combustus est.

CAPUT IX.

Referuntur Propositiones damnate in Concilio Basiliensi sub Eugenio IV. antequam Concilium esset acephalum anno 1435. descriptæ à libro Augustini Romani Archiepiscopi Nazarenæ.

1 Anima Christi videt Deum tam clare, & intensè, quantum clare, & intensè Deus videt se ipsum.

2 Ratio suppositalis determinans humanam naturam in Christo, non realiter distinguitur ab ipsa natura determinata.

3 Christus quotidie peccat, & ex quo fuit Christus quotidie peccavit.

4 Non omnes iustificati sunt membra Christi, sed soli prædestinati.

5 Humana Natura in Christo est Persona Verbi.

6 Humana Natura assumpta à Verbo ex unione personali est veraciter Deus naturalis, & proprius.

7 Christus secundum voluntatem creatam diligit Naturam humanam unitam Personæ Verbi quantum diligit Naturam Divinam.

8 Sicut duæ personæ in Divinis sunt æqualiter diligibiles; ita duæ Naturæ in Christo humana, & divina sunt æqualiter diligibiles, propter Personam communem.

CAPUT X.

Referuntur nonnullæ Propositiones Magistri Oxoniensis damnata in Congregatione Complutensi quarum damnationem auctoritate Apostolica confirmavit Xystus IV. anno 1479.

1 Peccata mortalia quantum ad culpam, & poenam alterius sæculi delentur per solam cordis contritionem sine ordine ad Claves.

2 Confessio de peccatis in specie fuit ex aliquo statuto utili Ecclesie, non de jure divino.

3 Prava cogitationes confiteri non debent, sed sola displicentia delentur sine ordine ad Claves.

4 Confessio debet esse secreta, (id est) de peccatis secretis, non de manifestis.

5 Non sunt absolvendi poenitentes nisi peracta prius poenitentia eis inuncta.

6 Papa non potest indulgere alicui vivo poenam Purgatorii.

7 Ecclesia Urbis Romæ errare potest.

8 Papa non potest dispensare in statutis universalis Ecclesie.

9 Sacramentum Poenitentia quantum ad collationem gratia Sacrament. nature est, non alicujus institutionis veteris, vel novi testamenti.

Damnata fuerunt hæc propositiones ut scandalosæ, & hæreticæ, & coactus Magister Petrus Oxoniensis abjurare illas, quod Catholice implevit.

CAPUT XI.

Referuntur duæ Propositiones circa Hominis Animam rationalem, quas Leo X. damnavit in Concilio Lateranensi sess. 9. anno 1513. Propositiones sunt istæ:

1 Anima intellectiva mortalis est, saltem secundum philosophiam.

2 Anima intellectiva est unica in cunctis Hominibus.

Duæ istæ propositiones damnatae fuerunt ut hæreticæ, ac deinde superaddita hæc universalis definitio quoad assertiones philosophicas. Cum verum vero minime contradicat, omnem assertionem veritatis illuminatæ fidei contrariam, omnino falsam esse definimus, & ut aliter dogmatizare non liceat, districtius inhihemus. Omnes hujusmodi erroneis assertionibus inhaerentes, tanquam hæreticos vitandos, & puniendos fore decernimus.

Insuper omnibus, & singulis Philosophis in Universitatibus studiorum generalium, & alibi publice legentibus districtè precipimus, ut cum Philosophorum principia, aut conclusiones, in quibus à recta fide deviare noscuntur, auditoribus suis legentibus, seu explicaverint (quale hoc de immortalitate animæ, aut unitate, & mundi æternitate, ac alia hujusmodi) teneantur eidem veritatem religionis Christi-

Christianæ omni conatu manifestam facere, & persuadendo (pro posse) docere, ac omni studio humilissimi Philosophorum argumenta (cum omnia solubilia existant) pro viribus excludere, atque resolvere.

CAPUT XII.

Referuntur Propositiones 41. Martini Lutheri à Leone X. damnatae anno 1520. per Bullam Exurge Domine, quæ sic habent:

1. **H**æretica sententia est, sed usitata; Sacramenta novæ legis justificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.

2. In puero post Baptismum negare remanens peccatum, est Paulum, & Christum simul conculcare.

3. Fomes peccati, etiam si nullum adit actuale peccatum, moratur exeuntem à corpore animam ab ingressu cæli.

4. Imperfecta Charitas morituri fert secum necessario magnum timorem, qui se solo satis est facere penam purgatorii, & impedit introitum regni.

5. Tres esse partes penitentia, contritionem, confessionem, & satisfactionem non est fundatum in Sacra Scriptura, nec in antiquis SS. Christianis Doctoribus.

6. Contritio, quæ paratur per discussionem, collationem, & detestationem peccatorum, quæ quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fedditatem, amissionem æternæ Beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem, hæc contritio facit hypocritam, immo magis peccatorem.

7. Verissimum est proverbium, & omnium Doctrina de contritionibus humilisque data præstantius, de cætero non facere summam penitentia: optima penitentia nova vita.

8. Nullo modo præsumas confiteri peccata venialia; sed nec omnia mortalia, quia impossibile est ut omnia mortalia cognoscas: unde in primitiva Ecclesia solum manifeste mortalia constabantur.

9. Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod misericordiam Dei nihil volumus relinquere ignoscendum.

10. Peccata non sunt ulli remissa, nisi remittente Sacerdote credat sibi remitti: immo peccatum maneret, nisi remissum crederet, non enim sufficit remissio peccati, & gratiæ donatio, sed oportet etiam credere esse remissum.

11. Nullo modo confidas absolvi propter tuam contritionem, sed propter verbum Christi, *Quodcumque solveris, &c.* Hinc, inquam, confide, si Sacerdotis obtinueris absolutionem, & crede fortiter te absolutum, & absolutum vere eris, quidquid sit de contritione.

12. Si per impossibile, confessus non esset contritus, aut Sacerdos non serio, sed joco absolvet,

si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus.

13. In Sacramento penitentia, ac remissio culpæ, non plus facit Papa, aut Episcopus, quam infimus Sacerdos; immo ubi non est Sacerdos, a quo tantum quilibet Christianus, etiam si mulier, aut puer esset.

14. Nullus debet Sacerdoti respondere se esse contritum, nec Sacerdos requirere.

15. Magnus est error eorum, qui ad Sacramenta Eucharistia accedunt, huic innixi, quod sint confessi, quod non sint sibi conscii alicujus peccati mortalis, quod præmiserint orationes suas, & præparatoria: omnes illi iudicium sibi manducant, & bibunt, sed si credant, & confidant, se gratiam ibi consecuturos, hæc sola fides facit eos puros, & dignos.

16. Consultum videtur, quod Ecclesia in communi Concilio statueret, laicos sub utraque specie communicandos, nec Bohemi sub utraque specie communicantes sunt hæretici, sed Schismatici.

17. Thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat Indulgentias, non sunt merita Christi.

18. Indulgentiæ sunt pie fraudes fidelium, & remissiones bonorum operum, & sunt de numero eorum, quæ licent, & non de numero eorum, quæ expediunt.

19. Indulgentiæ his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem penæ pro peccatis actualibus debite, apud Divinam Justitiam.

20. Seducuntur credentes, Indulgentias esse salutaras, & ad fructum Spiritus utiles.

21. Indulgentiæ necessariae sunt solum publicis criminibus, & proprie conceduntur duris solummodo, & impatientibus.

22. Sex generibus hominum Indulgentiæ nec sunt necessariae, nec utiles; videlicet mortuis, seu morituris; infirmis; legitime impeditis; his qui non commiserunt crimina; his, qui crimina commiserunt, sed non publica; his, qui meliora operantur.

23. Excommunicationes sunt tantum externæ penæ, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus.

24. Docendi sunt Christiani plus diligere excommunicationem, quam timere.

25. Romanus Pontifex Petri successor, non est Christi Vicarius, super omnes totius mundi Ecclesias, ab ipso Christo in B. Petro institutus.

26. Verbum Christi ad Petrum: *Quodcumque solveris super terram, &c.* extenditur dumtaxat ad ligata ab ipso Petro.

27. Certum est in manu Papæ, aut Ecclesiæ proflus non esse statuer articulos fidei: immo nec leges morum, seu bonorum operum.

28. Si Papa cum magna parte Ecclesiæ, sic vel sic sentiret, nec etiam erraret, adhuc non est peccatum, aut hæreticis contrarium sentire, præsertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per

Con-

Concilium universale, alterum reprobatur, alterum approbatur.

29. Via nobis facta est enervandi auctoritatem Conciliorum, & libere contradicendi eorum gestis, & iudicandi eorum decreta, & confidenter confitendi, quidquid verum videtur, sive approbatur fuerit, sive reprobatur à quocumque Concilio.

30. Aliqui articuli Joannis Hus condemnati in Conc. Constantiensi, sunt Christianissimi, verissimi, & Evangelici, quos nec universalis Ecclesia posset damnare.

31. In omni opere bono iustus peccat.

32. Opus bonum optime factum, est veniale peccatum.

33. Hæreticos comburi, est contra voluntatem Spiritus Sancti.

34. Præliari adversus Turcas est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos.

35. Nemo est certus, se non semper peccare mortaliter, propter occultissimum superbiæ vitium.

36. Liberum arbitrium, post peccatum est res de solo titulo; & dum facit quod in se est, peccat mortaliter.

37. Purgatorium non potest probari ex sacra Scriptura, quæ sit in canone.

38. Animæ in Purgatorio non sunt securæ de earum salute, saltem omnes; nec probatur est ullis, aut rationibus, aut Scripturis, ipsas esse extra statum merendi, aut augendæ charitatis.

39. Animæ in Purgatorio peccant sine intermissione, quandiu querunt requiem, & horrent penas.

40. Animæ ex Purgatorio liberatæ suffragiis viventium, minus beantur, quam si per se satisfecissent.

41. Prælati Ecclesiastici, & Principes seculares non male facerent, si omnes saccos mendicitatis derelenter.

CAPUT XIII.

Referuntur Propositiones Michaelis Bajæ damnatae à S. Pio V. anno 1567. per Constitutionem ex omnibus, & deinde à Gregor. XIII. anno 1579. & ab Urbano VIII. anno 1641.

1. **N**EC Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur gratia.

2. Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium, sic bonum opus ex natura sua, est vitæ æternæ meritorium.

3. Et bonis Angelis, & primo Homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, & non gratia.

4. Vita æterna homini integro, & Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt.

5. In promissione facta Angelo, & primo Ho-

mini continetur naturalis justitiæ constitutio, quæ pro bonis operibus sine alio respectu, vitæ æternæ iustis promittitur.

6. Naturali lege constitutum fuit Homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam transtiret, in qua mori non posset.

7. Primi hominis integri merita, fuerunt primæ creationis munera, sed iuxta modum loquendi Scripturæ Sacræ non recte vocantur gratia, quo fit, ut tantum merita, non gratia debeant nuncupari.

8. In redemptis per gratiam Christi nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum.

9. Bona concessa homini integro, & Angelo, forsitan non improbanda ratione, possunt dici gratia: sed quia secundum usum Sacræ Scripture, nomine gratiæ, ea tantum munera intelliguntur, quæ per Jesum Christum male merentibus, & indignis conferuntur, ideo neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratiæ dici debet.

10. Solutio penæ temporalis, quæ peccato dimisso, sæpe remanet, & corporis resurrectio, proprie nonnisi meritis Christi adscribenda est.

11. Quod pie, ac juste in hac vita mortali, usque in finem conversati, vitam consequimur æternam, id non propriè gratiæ Dei, sed ordinati naturalis statim initio creationis constitutæ iusto Dei iudicio deputandum est; neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua, lege naturali constitutum est, ut iusto Dei iudicio, obedientiæ mandatorum vitæ æternæ reddatur.

12. Pelagii sententia est: Opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non est regni Cælestis meritorium.

13. Opera bona à filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiant per Spiritum adoptionis inhabitantem corda Filiorum Dei, sed tantum ex eo, quod sint conformia legi, quodque per ea præstetur obedientia legi.

14. Opera bona Iustorum non accipiunt in die iudicii extremi amplio remercedem, quam iusto Dei iudicio mereantur accipere.

15. Ratio meriti non consistit in eo, quod qui bene operatur habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum; sed in eo solum, quod obedit Divinæ legi.

16. Non est vera legis obedientia quæ fit sine charitate.

17. Sentiant cum Pelagio, qui dicunt, esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum.

18. Opera Cathecumenorum, ut fides, & penitentia ante remissionem peccatorum facta, sunt vitæ æternæ merita, quam vitam ipsi non consequuntur, nisi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur.

19. Opera iustitiæ, & Temperantiæ, quæ Chris-

tus

tus fecit, ex dignitate personæ operantis non traxerunt majorem valorem.

20 Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur penam æternam.

21 Humana naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium Divinæ Naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.

22 Cum Pelagius sentiant, qui textum Apostoli ad Romanos 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt*, intelligunt de gentibus, fidei gratiam non habentibus.

23 Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio, dono quodam supernaturali, & gratuito, supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut Fide, Spe, & Charitate Deum supernaturaliter coleret.

24 A vanis, & otiosis hominibus, secundum insipientiam Philosophorum, excogitata est sententia, quæ ad Pelagianismum rejicienda est; Hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita, fuerit largitate conditoris sublimatus, & in Dei filium adoptatus.

25 Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.

26 Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.

27 Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valet.

28 Pelagianus est error, dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

29 Non soli fures ii sunt, & latrones, qui Christum, viam, & ostium veritatis, & vitæ negant; sed etiam quicumque aliunde quam per ipsum in viam Justitiæ (hoc est ad aliquam justitiam) conficendi posse docent.

30 Aut tentationi ulli, sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur.

31 Charitas perfecta, & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Cathecumenis, quam in poenitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.

32 Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.

33 Cathecumenis juste, recte, & sancte vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demum percipitur.

34 Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur, ut auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur, ut beatorum, vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris Litteris, & plurimis veterum testimoniiis, excogitata.

35 Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.

36 Amor naturalis, qui ex viribus naturæ ex-

ritur, ex sola Philosophia per elationem præsumptionis humanæ, cum injuria Crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus.

37 Cum Pelagius sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.

38 Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa, Deus amatur.

38 Quod voluntarie fit, etiam si necessario fiat, libere tamen fit.

40 In omnibus suis actibus peccator servit dominantis cupiditati.

41 Is libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis à peccato.

42 Justitia, qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum Justitiæ, non autem in gratia aliqua animæ infusa, qua adoptatur homo in filium Dei, & secundum interiorem hominem renovatur, ac Divinæ Naturæ confors efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere, & Deo mandatis obedire possit.

43 In hominibus poenitentibus, ante Sacramentum absolutionis, & in Cathecumenis ante Baptismum, est vera justificatio; separata tamen à remissione peccatorum.

44 Operibus plerisque, quæ à fidelibus fiunt, solum, ut Dei mandatis pareant, cuiusmodi sunt, obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, à furto, à fornicatione abstinere, justificatur quidem homines, quia sunt legis obedientia, & vera legis justitia, non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

45 Sacrificium Missæ non alia ratione est Sacrificium, quam generali illa, qua omne opus, quod fit, ut sancta societas Deo homo inhaerent.

46 Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium; nec definitionis questio est, sed causæ, & originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.

47 Unde peccatum Originis vere habet rationem peccati sine ulla ratione, ac respectu ad voluntatem, à qua originem habuit.

48 Peccatum Originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

49 Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus decedens sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & legi Dei repugnet.

50 Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitatus patitur, sunt prohibita præcepto: *Non concupisces*.

Con-

51 Concupiscentia, sive lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

52 Omne scelus est ejus conditionis, ut suum auctorem, & omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.

53 Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritum malorum à generante contrahunt, qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum majoribus.

54 Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit.

55 Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.

56 In peccato duo sunt; actus, & reatus, transiente autem actu, nihil manet, nisi reatus; sive obligatio ad penam.

57 Unde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione, proprie reatus peccati demeraxat tollitur, & ministerium Sacerdotum solum liberat à reatu.

58 Peccator poenitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed à solo Deo, qui poenitentiam suggerens, & inspirans, vivificat eum, & reficitur; ministerio autem Sacerdotis solum reatus tollitur.

59 Quando per Eleemosynas, aliaque poenitentia opera Deo satisfacimus pro poenis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus; sicut quidam errantes autumant (nam aliqui esse, saltem aliqua ex parte Redemptores) sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, & communicatur.

60 Per Passiones, Sanctorum Indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta, sed per communionem charitatis nobis eorum Passiones impartuntur, ut digni simus, qui pretio Sanguinis Christi à poenis pro peccatis debitibus liberemur.

61 Illa Doctorum distinctio, Divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad præceptorum operum substantiam tantum; altero quantum ad certum quandam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad Regnum æternum (hoc est ad modum meritum) commentitia est, & explosiva.

62 Illa quoque distinctio, qua opus datur bifariam bonum, vel quia & objecto, & omnibus circumstantiis rectum est & bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt) vel quia est meritum regni æterni, eo quod fit à vivo Christi membro per Spiritum Charitatis, rejicienda est.

63 Sed & illa distinctio duplicis justitiæ, alterius, quæ fit per Spiritum Charitatis inhabitantem, alterius, quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti, cor ad poenitentiam excitans, sed nondum eor inhabitantis, & in eo Charitatem diffundentis,

qua Divinæ Legis Justificatio impleatur, similiter rejicitur.

64 Item, & illa distinctio duplicis vivificationis, alterius, qua vivificatur peccator, dum est poenitentia, & vitæ novæ propositum, & inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius, qua vivificatur, qui vere justificatur, & Palmes vivus in vitæ Christo efficitur; pariter commentitia est, & Scripturis minime congruens.

65 Non nisi Pelagianis errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus, & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit, & docet.

66 Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67 Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod necessario facit.

68 Infidelitas pure negativa, in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

69 Justificatio impii fit formaliter per obedientiam Legis, non autem per occultam communicationem, & inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos facit implere Legem.

70 Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram Charitatem; & Charitas, etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.

71 Per Contritionem, etiam cum Charitate perfecta, & cum Voto suscipiendi Sacramentum conjugatum, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut Martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.

72 Omnes omnino justorum afflictiones, sunt ultiones peccatorum ipsorum: unde, & Job, & Martyres, quæ passi sunt propter peccata sua passi sunt.

73 Nemo, præter Christum, est absque peccato Originali. Hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel Originalis.

74 Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut & alii habitus pravi.

75 Motus pravi concupiscentiæ, sunt, pro statu hominis vitati, prohibiti præcepto: *Non concupisces*: Unde homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur præceptum, *non concupisces*; quamvis transgressio in peccatum non deputetur.

76 Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum: *Dilige Deum tuum ex toto corde tuo*.

77 Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno penam temporalem restantem post culpam condonatum.

78 Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.

79 Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse à Deo creari, & institui sine justitia naturali.

CAPUT XIV.

De cavillatione quadam Bajanorum circa Damnationem istarum propositionum.

Sciendum, S. Pontificem Pium Quintum Bullam damnationis ita concludere. *Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quamvis nonnullae aliquo pacto suscipi possent, in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus invento, haereticas, erroneas &c. damnamus; contendebant autem Bajani quod post rō possent, non haberetur comma positum in originali Bullae: ex qua interpunctione inferebant, nullam determinate dici posse damnationem, sed tantum aliquas indeterminate, ideoque posse singulas defendi in sensu ab assertoribus intento: sed Urb. VIII. in generali Congreg. die 26. 1642. produxit ex archivio Bullam In eminenti, in qua reperit verba S. Pii V. & comma positum post rō possent; erantque interpunctiones uti primo retulimus. Postmodum Bajani dixerunt Bullam illam In eminenti esse subrepticam, quod etiam damnavit Alex. VIII. die 7. Decembris 1690. in Prop. 31.*

CAPUT XV.

De Statibus diversis Naturae humanae, de libertate Hominis, deque Christi gratia ad errores Lutherianorum, Jansenistarum, & Bajanorum percipiendos.

In triplici statu potest humana natura considerari. In statu naturae integræ, in statu naturae lapsæ, ac in statu naturae puræ. Status naturae integræ est ille in quo Adam fuit à Deo creatus, scilicet in statu naturae à Deo elevatæ ad finem Beatitudinis supernaturalis, id est, ad videndum Deum sicuti est, atque illo in aeternitate fruendum. Igitur Adam fuit creatus in statu naturae integræ, id est, cum iustitia Originali, hoc est cum gratia sanctificante, cum qua sortitus est etiam habitus infusus supernaturales Fidei, Spei, Charitatis, ac virtutum moralium; item scientiam infusam rerum naturalium; taliter ut dependenter ab illis intellectus illius immunitate ab errore gauderet; item subjectionem appetitus inferioris, id est, concupiscentiæ, rationi, & voluntati; adeo ut non politicum tantum, verum etiam depoticum suarum passionum dominium exerceret; item immunitatem à morte, ac reliquis vitæ miseris; non quidem ita ut ejus corpus esset naturaliter impassibile, ac immortale, verum per lignum vitæ provivum fuerat, ut illo utens, vitam, ac valetudinem perfectam servaret, & per felicitatem Paradisi voluptatis, & obedientiam animalium omnium Adæ in eo loco fiebat, ut nulli incommodo, ac nulli miseriæ subjaceret. Præter hæc instructus fuit auxiliis gratiæ actualis, ad merendum vitam æternam, & implenda Dei præcepta, & ad resistendum ten-

tationibus, quibus non omnino carebat, nec videbatur expedire quod omnino careret: *Etenim qui non est tentatus quid scit? (Eccl. v. 34.)* De facto in tentationem lapsus peccavit & per peccatum transit ad statum Naturæ lapsæ. Hic est secundus status naturæ humanæ, id est, naturæ per peccatum corruptæ. Adam in peccatum lapsus amisit gratiam sanctificantem, item habitus virtutum, id est, ultimum finem æternæ Beatitudinis, & immunitatem ab errore, immunitatem à fomite concupiscentiæ, immunitatem à morte, & reliquis vitæ miseris, quæ dicuntur bona integritatis. Verum ex meritis Christi venturi ut Naturæ humanæ reparaturæ, collata sunt illi auxilia gratiæ actualis, quibus penitentiam salutarem obtulit Deo, & per illam ex meritis Christi obtinuit, ut ejus natura repararetur. Quapropter deletum fuit ejus peccatum quatenus proprium, ac personale, restituta sunt illi dona gratiæ sanctificantis, habitus virtutum & jus ad æternam Beatitudinem, & collata successive dona gratiæ actualis, ut ipsam æternam Beatitudinem majorem, ac majorem in dies mereatur. Verum dona integritatis restituta illi nequam fuerunt, atque ideo donec vixit, mansit absque immunitate ab erroribus in intellectu, absque subjectione concupiscentiæ rationi, absque immunitate à morte, ac reliquis vitæ miseris.

Hic ergo est status naturæ lapsæ per Christum reparatæ, id est, status, in quo, deleto per Baptismum peccato Originali, Homo elevatur per Gratiam Christi ad finem Beatitudinis supernaturalis, & instruitur gratia sanctificante, & habitibus supernaturalibus virtutum, & dum pervenerit ad usum rationis, instruitur gratiis actualibus, quæ in opportunitatibus nunquam desunt, ut illis cooperando, acquirat merita salutaria, & augmentum æternæ Beatitudinis suæ. Verum relinquatur absque donis integritatis, id est, absque immunitate ab erroribus, absque immunitate à fomite concupiscentiæ, motibus suis rationis considerationem, ac imperium voluntatis prævenientis & absque immunitate à morte, ac reliquis vitæ miseris; & hæc omnia in statu naturæ lapsæ per Christum reparatæ in Fidelibus relinquuntur ad agonem, ut definit Concil. Trident. in decreto de peccato originali, ut nempe qui legitime contra ista certaverit, coronetur.

Præter hos duos status, alius à Theologis adnumeratur, diciturque status naturæ puræ. Concipiunt Hominem creatum à Deo, sed non elevatum ad finem Beatitudinis Supernaturalis, & consequenter non instructum gratia sanctificante, nec habitibus supernaturalibus, & item earentem donis integritatis, nempe immunitate ab erroribus, immunitate à fomite concupiscentiæ, immunitate à reliquis vitæ miseris; sed nihilominus potentem sibi acquirere aliquam Beatitudinem bene vivendo, aut illam demereri, & aliquam damnationem incurere, se prave gerendo, ac peccando. Hunc statum

tum naturæ puræ impossibilem volunt Calvinistæ, Bajani, ac Jansenistæ, siquidem ejusdem sequaces doctrinæ, diversis fratribus traditæ; & ideo illum impossibilem docent quia dona integritatis sufficienter esse debita naturæ humanæ innocenti quæcumque sit. Hinc non potuisse Deum creare ab initio Hominem qualis nunc nascitur, etiam secluso peccato originali, mordicus tenent.

Venio nunc ad gratiam & Libertatem. Libertas ad agendum aliquid, duplex est; alia à necessitate dicitur; alia vero à coactione. Libertas à necessitate est Libertas quæ dicitur etiam indifferentiæ, nempe Libertas Homini constituti in actu primo proximo indifferenti tum ad agendum tum ad non agendum in sensu diviso, five ad agendum oppositum. V. gr. Homo constitutus in actu primo proximo ad ambulandum versus Orientem, erit liber à necessitate si dum taliter est constitutus, poterit aut ambulare ad Orientem, aut non ambulare, aut potius ambulare ad Occidentem, quam ad Orientem. Hæc est libertas à necessitate. Quatenus est libertas ad ambulandum aut non ambulandum dicitur libertas contradictionis; quatenus est libertas ad ambulandum ad Orientem, aut ad Occidentem dicitur libertas Contrarietatis. Libertas à coactione illa est, quam habet Homo constitutus in actu primo proximo ad aliquid, quod non potest omittere, aut cujus oppositum nequit facere; sed tamen libenter facit. V. gr. dum aliquis abstrahitur involuntarie in aliquam distractionem mentis, & cogitat non advertens quid faciat de aliquo objecto sibi grato, libere agit libertate à coactione, quatenus, ito non potest tunc non cogitare dum sic manet abstractus; tamen quia objectum est sibi gratum libenter cogitat, & manet libenter distractus.

Jam vero Calvinistæ, Bajani, ac Jansenistæ volunt quod nostra libertas, quæ potitur in statu naturæ lapsæ, sit libertas tantum à coactione, ita ut quando peccamus non cogamur peccare, sed libenter peccemus; atamen à peccato abstinere vires nobis non suppetant, & desit Christi gratia ad vitandum peccatum, quod tamen nihilominus imputatur nobis ad pœnam æternam si peccatum letale, quia docent ad merendum & demerendum sufficere libertatem à coactione. Pariformiter quando salutariter operamur, non possumus non operari salutariter, quia Gratia Christi habenti, ut ajunt, abutentes verbis D. Augulini, humanorum cordium inclinandum omnipotentissimam potestatem resisti non potest à nobis, sique non possumus non agere salutariter: nihilominus per hujusmodi opera salutaria vere meremur vitam æternam, quia ea libenter operamur, quod sufficit, cum ad merendum & demerendum sufficiat libertas à coactione & actio facta ex gratia efficaci, cui non possit resisti.

Sed Catholica doctrina oppositum his hereticis docet, ad propterea de fide est, non amisisse

Adam per peccatum Originale libertatem à necessitate. Gratiam fuisse collatam Adamo quando peccavit, sufficientem ad hoc ut non peccaret, sique præter gratiam efficacem dari gratiam sufficientem; quia si gratia Adamo collata fuisset efficaciæ, utique non peccasset; & item de fide est, gratiæ efficaciam esse talem, cui humana voluntas possit resistere, aut obtemperare, sique non auferre libertatem à necessitate. Pariformiter fides docet Deum esse fidelem, ac non permittere nos tentari supra id quod possumus; sed facere etiam cum tentatione gratiæ suæ proventum, ut possimus sustinere; ac propterea omnes, qui peccant reperiri ante pravam ipsorum consensum in actu primo proximo indifferenti ad consentiendum, aut non consentiendum pro libito, proindeque peccare cum libertate à necessitate, ac propter hoc illis imputari peccatum. Denique de Fide esse quod libertas à necessitate requiritur ad merendum & demerendum, & quod non sufficit libertas à coactione; alioquin Beati etiam nunc morerentur in Cælis augmentum Beatitudinis suæ; quia in amando Deum, cum eum libentissime amant, perfectissima libertate à coactione fruuntur.

Vim magnam faciunt Calvinistæ, Bajani & Jansenistæ, in distinctione adjutorii quo & adjutorii sine quo non, quæ distinguit D. Aug. in libro de correptione, & gratia; & adjutorium quo tribuit Homini post peccatum Adæ ex meritis Christi; adjutorium vero sine quo non tribuit Adæ in statu naturæ innocentis, & nomine adjutorii quo intelligit gratiam efficacissimam, & comparat illam Beatitudini, quæ non cogit quidem Beatum ad fruendum Deo, sed tamen illum necessitat. Sed hoc nihil probat: nam quando adest gratia efficax semper fit id ad quod datur, & quantum ad hoc est sicuti Beatitudo, quæ semper fit Beatus ille cui datur. Sed in hoc discrepat, quia per Beatitudinem non fit Beatus liber talis, ita ut per actum Beatificum mereatur vitam æternam, ubi vero per gratiam efficacem fit Homo salutariter operans, ita ut libere salutariter operetur, unde paritas non omnino currit; nec est necesse ut comparationes omnino respondeant comparatis. Discrimen, quod intercedit inter gratiam, quæ Adamo collata fuit à Deo, & gratiam, quæ conferuntur Homini in statu naturæ lapsæ hoc est, quod Gratia Adamica erat gratia sanatis, & nostra est gratia medicinalis, & consequenter auxilia, quæ nobis conferuntur ad bene salutariter operandum sunt abundantiora, sunt intensiora, sunt frequentiora, quia propter infirmitatem naturæ nostræ talibus auxiliis indigemus, cum sæpe debeant inservire ad expugnamdam moralem necessitatem ad peccandum, quæ non raro accidit nobis à dominatu concupiscentiæ, ac tyrannide Diaboli, cui per peccatum natura humana subiecta est, ac propterea Deus qui fidelis est, debet nobiscum facere cum tentationibus nostris gra-

vix suæ proventum, ut sustinere possimus; & hoc est quod innuit Apostolus ad Rom. 5. dicens quod ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia, & Jo: 10. dicitur: Ego veni ut vitam habeam, & abundantius habeam. Et hac adnotasse sit satis.

CAPUT XVI.

Referitur Propositio damnata anno 1602. à Clemente VIII. Speciali Bulla, circa Confessionem, & Absolutionem per Epistolam; aut per internum. Propositio est hæc:

1. Licet per litteras, seu internuncium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eo absente absolutionem obtinere.

Damnatur ad minus ut falsa, temeraria, & scandalosa; & sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, ac Pontifici Romano reservatæ, illius praxis, ut desinitio omnino interdicitur.

2. Notandum autem est hæc, quod per hujus Propositionis damnationem non interdicitur Confessio facta per Scripturam Sacramenti præsentem, quæ utique valida est, si Penitens tradat eam continentem peccata sua Confessario legendam, ac deinde addat: me accuso de his omnibus, quæ scripta sunt in hac pagina, & à te lecta sunt, & peto de omnibus absolutionem; imò secundum Sotum, Lugo; Martinum Perez, & alios, licita est in casu, quo aliquis præ maxima verecundia non audeat legere ipse paginam Confessario, aut in casu quo Confessarius surditate laboraret.

CAPUT XVII.

Referitur Propositio circa S. Petrum, & S. Paulum damnata ab Innocentio X. anno 1647. in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis.

1. Sanctus Petrus, & S. Paulus sunt duo Ecclesiæ Principes, qui unicum efficiunt; vel sunt duo Ecclesiæ Catholicae coriphæi, ac Supremi Duces, summa inter se unitate conjuncti: Vel sunt genuinis universalis Ecclesiæ vertex, qui in noium divinisimè coaluerunt: vel sunt duæ Ecclesiæ Summi Pastores, ac Præsides, qui unicum caput constituunt, & subjectione Sancti Pauli ad Sanctum Petrum, in potestate suprema, & regimine universalis Ecclesiæ.

Damnatur hæc Propositio ut hæretica, si taliter explicetur, ut ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum, & S. Paulum, sine subordinatione, & subjectione Sancti Pauli ad Sanctum Petrum, in potestate suprema, & regimine universalis Ecclesiæ.

CAPUT XVIII.

Referuntur quinque sanose Jansenii Propositiones ab Innocentio X. damnatæ anno 1653. & deinde ab Alexandro VII. anno 1656. & novissime à Clemente XI. anno 1705. & singulis apponitur sua condemnatio.

1. Aliqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus, & constantibus, secundum præ-

sentas, quas habent, vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiunt: Temerariam impiam, blasphemam, anathemam damnatur, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

2. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur. Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

3. Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas, à necessitate, sed sufficit libertas à coactione: Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

4. Semipelagiani amittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare: Falsam, & Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

5. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem sudisse: Falsam, temerariam, scandalosam, & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute humanarum prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietatis derogantem, & Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

CAPUT XIX.

Referuntur duæ Propositiones de Omnipotentia donatæ, & subiecta Creaturæ, ab Innocentio XI. anno 1679. in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ Inquisitionis damnatæ.

1. DEUS donat nobis Omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri Villam, aut Librum.

2. Deus subiecit nobis suam Omnipotentiam. Damnatur hæc duæ Propositiones ut temerariæ ad minimum, & novæ.

CAPUT XXI.

Referitur Propositio de usu scientiæ ex Confessione acquisita damnata in Generali Congreg. S. Rom. Inquis. anno 1682. sub Innocentio XI.

Propositio est hæc: Scientia ex Confessione acquisita uti licet; modo fiat sine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine penitentis, nisi aliud multo majus ex non usu sequatur, in cuius comparatione prius meritò contemnatur.

Nulla censura afficitur, sed omnibus Sacramenti Penitentia Ministris mandat, ut ab ea docenda, & defendenda, aut in praxim deducenda prorsus abstineant.

CAPUT XXII.

Referuntur Propositiones 68. Michaelis de Molinos ab Innocentio XI. damnatæ anno 1687.

1. Necessarium est annihilari potentias; & hæc est via interna.

dictæ Propositiones non asserunt veræ, à Cornelio Jansenio, sed tantum asserunt verè in operibus Divi Augustini scriptis reperiri; & item quod Papa est infallibilis quidem in decidendo circa questiones juris, non autem circa Questiones facti, qualis est illa: An illa Propositiones extant in libro Jansenii, & an in eo libro sensum talem possint, quàm alium efficiant? Resp. asseri quod verè sint illa Propositiones à Jansenio, ut patet ex toto libro.

Et deinde Jansenius asserit sæpè, doctrinam Divi Augustini esse irrefragabilem prorsus, ac certè veram; exceptis illis Propositionibus, quas ipse retractavit; ergo simul, & semel asserit quod illa Propositiones, quas asserit sæpè reperi à Divo Augustino, sunt prorsus, ac certè veræ: Ad id quod dicitur de questionibus facti, jam dictum est alius, Papam esse infallibilem in questionibus facti, quando connectitur cum questionibus juris. Videantur ibi dicta, quæ locum hic habent: nam hæc duo quænam sit, & qualis sit hæc Propositio, ut patet ex terminis, connectuntur.

2. Velle operari activè, est offendere Deum, qui vult solus Agens esse; & ideo necesse est desinquare se in illo, & deinde se habere corporis mortui instar.

3. Vota faciendi aliquid rem, sunt impeditiva perfectionis.

4. Activitas naturalis est inimica gratiæ, & ideo petit operationem Dei; & veram perfectionem; quia Deus vult operari in nobis, sine nobis.

5. Anima nihil operando, annihilat se; & reddit ad suum principium, ad suam originem, quæ est essentia Dei, ubi manet transformata, & divinizzata; & tunc Deus manet in se ipso, quæ tunc non sunt amplius due res unitæ; sed una sola, & sic vivit; & regnat Deus in nobis, & anima se annihilat in esse operativo.

6. Interna via est illa, in qua non cognoscitur aut lumen, aut amor, aut resignatio; neque necessarium est cognoscere Deum, & sic bene proceditur.

7. Non debet anima cogitare aut præmium, aut pœnam, aut Paradisum; aut Infernum; aut mortem, aut æternitatem.

8. Non debet velle scire, an ambalet cum voluntate Dei; an sit resignata illi, vel non; nec est necesse, ut velit cognoscere suum statum, nec prorsus nihil; sed sese habeat quasi corpus mortuum.

9. Non debet anima memor esse; vel sui ipsius, vel Dei, vel ullius rei; & in via interna omnis reflexio est nociva, & etiã reflexio supra suas actiones humanas, ac proprios defectus.

10. Si propriis defectibus aliquis scandalizat alterum, non est necesse ad id facere reflexionem, dummodò non sit voluntas scandalizandi, & non posse reflectere ad proprios defectus, est donum Dei.

11. Ad dubia, quæ accidunt, rectè procedamus, an non, non est necessarium reflectere.

12. Qui dedit liberum arbitrium Deo, non debet curare de ulla re; nec de Inferno, nec de Paradiso; nec de habendo desiderio suæ propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, à cuius etiam ipse se purgare debet.

13. Dum consignatum fuerit liberum Arbitrium Deo, illi debet relinqui cura, & cogitatio omnium rerum nostrarum, & permitti, ut in nobis sine nobis suum divinum faciat velle.

14. Qui resignatus est Divinae voluntati, non debet à Deo quidquam petere, quia petere est imperfectio; cum sit actus propriæ voluntatis, & electionis; & est quodammodo velle, sicut Divina voluntas nostræ se conformet, & non nostræ voluntati divinæ; & illud petite, & accipietis, ex Evangelio; non fuit dictum à Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem, quia & istæ eo deveniunt, ut non possint Deo quidquam petere.

Un-